

tur, quando hominis corpus, aut eius pars sudore perfusa frigido aëri exponitur. Ibi etiam sudoris materia in tubercula vertitur, quæ, si iam ipsa materia putruerit, pruriunt: sin minus non pruriunt. Sed si putruerit non solum suscitatur vesiculæ in cute, sed etiam animalcula ex pediculorum genere, quæ à nostris Gallis *cyrons* dicuntur: ac quæ ibi scabiem fore indicant, vbi nascuntur. In cute etiam oriuntur alia vesiculæ paulò minores papulis, atque bullis aquæ feruentis similes quæ phlyctenæ nominantur. Hæ autem tibijs ac cruribus potissimum eueniunt, atque, si rumpuntur crustam efficiunt nigricantem & dolorificam. Distinguntur autem materia ab ipsis bullis, quæ carbunculos sequuntur: quandoquidē phlyctenæ ex seroso humore gignuntur: carbunculorum verò bullæ ab atra bile originem habent. Phlyctenæ quoque, atque etiam papulæ ab ijs vesicis, quæ variolæ & morbilli à medicis practicis vocatæ, distinguntur. Nam hi affectus epidemij sunt, & contagiosi, qui sæpius malignam accersunt & continuam febrem: papulæ verò & phlyctenæ non pestilentes sunt, nec epidemij: neque vllam afferunt, febrem: quibus omnibus cutis affectibus pueri & adulescentes magis obnoxij sunt, quàm viri & senes. Item, in cute tumores fiunt, in quorum numero thymus est, qui sæpius anum & penis glandem

quàm

*Phlyctenæ*

*variolæ  
Morbilli*

*Thymus*